

sonesum, partiū esse colligatur triginta quatuor cum quintis quatuor.

In caput decimum tertium annot.

Confirmat Ptolemæus hoc capite atque sequenti supradictam terræ longitudinem, colligens scilicet ex quinque particularibus distantijs 34. gradus ac quatuor quintas, hoc est, 48. minuta. Colligit autem sic. Deprehensum est ex nauigationibus à Cory promontorio usque ad Cururam ciuitatem esse gradum unum & 20. minuta. A Curura ad Paluras gradus decem & minuta 30. Ex Paluris ad Gangeticum sinum gradus 17. & minuta 20. Inde, à Sada scilicet ad Tamalam ciuitatem gradus 3. & minuta 50. A Tamala ad Chersonesum auream gradum unū atq; minuta 48. Quibus omnibus simul aggregatis, prodit longitudo inter Cory & auream peninsulam, nempe gradus 34. & minuta 47. Est autē Cory promontoriū in India intra Gangem, habetq; in longitudine gradus 124. minuta 40. & in latitudine gradus 13. & minuta 40. Vide in decima Asia tabula. In eadem tabula inuenies Paluram ciuitatem, habetq; in longitudine gradus 136. minuta 40. & in latitudine gradus 11. minuta 30. Sada uero ciuitatem inuenies in undecima Asia tabula, in sinu Gangetico, habetq; in longitudine gradus 154. minut. 20. & in latitudine gradus 11. minuta 20. Inuenies denique ibi fluuium Tamalam sed non ciuitatem, ac deinde auream Chersonesum.

De nauigatione à Chersoneso aurea ad Cattigara. Cap. XIII.



Aeterū stadiorū numerū eius nauigationis, quæ est ab aurea Chersoneso ad Cattigara, Marinus haud explicat: refert autē Alexandrū scripsisse terrā inde cōtrariam esse meridiei, & qui iuxta illā nauigant diebus uiginti applicare ad ciuitatem Zabas: à Zabis uero nauigātes ad austrū, magisq; in leuam, diebus aliquot Cattigara excipere. Adauget igitur distantia expositā, dies aliquot pro multis excipiēs: nam propter multitudinē, inquit, eos haud esse cōprehensos numero, quod ego quidē ridiculū cēseo: quis enim dierū numerus infinitus erit, etiā si totius terræ peragratae ambitū cōtineat: aut quid prohibebat Alexandrū pro quibusdā dicere multos & quæ

admodū Dioscorū retulisse, inquit, nauigationē à Raptis ad Prassum multorum esse dierū. Atqui rationabilius est, ut quis dies aliquot pro paucis intelligat, nam talem dicēdi modū reprehendere cōsueuimus. Verū ne & nos quoque multitudinē aliquam propositam, ad simplices tantū cōiecturas adaptare uideamur, assumamus nauigationem à Chersoneso aurea usq; ad Cattigaras ex uiginti diebus, qui ad Zabam, nec non ex alijs quibusdā qui ad Cattigara sunt cōpositam, quæ admodū & nauigatio illa ab Aromatis ad Prassum promontoriū, quæ & ipsa ex pari dierū numero uiginti, ad Rapta cōposita est secundū Theophilum, & ex alijs multis, quæ secundum Dioscorum sunt ad Prassum, ut & Marinum pariter imitemur, qui dies aliquot cōparat multis. Postquā igitur per certas rationes, nec non ex apparentibus ipsis ostendimus Prassum esse sub parallelo, quæ ab æquinoctiali abest, meridiē uersus partibus sedecim tertia una et duodecima, parallelusq; qui per Aromata trāsit, ab æquinoctiali uersus septentriones partibus distet quatuor et quarta, ita ut si tota distantia, quæ ab Aromatis est ad Prassum, in unū cōtrahatur, partiū uiginti & tertiarū duarū esse colligatur: forsitan nō inepte totidē ab aurea Chersoneso ad Zabas ponemus, ac inde ad Cattigara. Porro distantia, quæ est ab Chersoneso aurea ad Zabas, imminuere haud oportet, quoniā æquinoctiali parallela existit, & quia regio intermedia meridiano extēditur cōtraria: at etiā distantia, qua est à Zabis ad Cattigara, quia nauigatio uergit ad austrū & ad ortū, cōtrahere decet, ut positionē, quæ æquinoctiali est parallela, capiamus. Si itaq; dimidium partium, utriq; attribuamus distantia, propter incertū eorū excessum, & à partibus, quæ à Zabis ad Cattigaram sunt decem cum una tertia, iterum tertiam partem, propter inclinationem detraxerimus, habebimus distantiam quoque ab aurea Chersoneso ad Cattigaram, positione sua, quasi æquino-